nique ebrii putabantur quibus spiritus sanctus inundabat. Ergo et hic fodit
torcular in quod uue rationabilis fructus interior spiritali in-
fusione deflueret. Edificauit turrem uerticem scilicet legis
attollens atque ita hanc uineam munitam. instructam. ornatam.
locauit iudeis et tempore fructuum seruulos suos misit. Bene
tempus fructuum posuit. non prouentuum. Nullus enim fructus exstitit
iudeorum. nullus uinee huius prouentus. de qua dominus ait. Exspectaui
ut faceret uuas. fecit autem spinas. Itaque non leticie uino. non spi-
ritali musto sed cruento prophetarum sanguine torcularia
redundarunt. Denique ieremias in lacum missus est. Hec enim e-
rant iam torcularia iudeorum non uino repleta sed cruore.
Et licet generaliter prophete uideantur expressi. dat tamen lectio. ut illum qui lapidatus
est nabaoth esse credamus. cui etsi nullum accepimus propheticum uerbum. accepimus
tamen propheticum factum. qui multos per hanc uineam futuros martyres christo sanguine
prophetauit. Quis autem est ille qui in capite uulneratus est. Nimirum esayas. cuius facilius
compagem corporis serra diuisit quam fidem inclinauit constantiamue detriuit.
aut uigorem mentis excussit. Locus quoque factum est. ut cum plures alios destinasset
quos iudei inhonoros et inanes sed de quibus nichil potuerunt proficere dimiserunt.
nouissime etiam filium unigenitum mitteret. quem perfidi quasi heredem remouere
cupientes. occiderunt crucifigendo. eiecerunt negando. Breuiter itaque quam
magna. quam multa. Primum quod naturalis est bonitas. que plerumque credit indi-
gnis. deinde quod postremum malorum remedium christus aduenit. tum quod
qui heredem negat. de auctore desperat. Heres autem christus. ideoque testatoris he-
res. quod morti proprie superuiuit et testamenti quod ipse edidit tamquam heredi-
taria in nostris profectibus emolumenta consequitur. Pulchre quoque interrogat. ut
sua se ipsi damnent sententia. Uenturum autem dominum dicit uinee. quod in fili-
o assit etiam paterna maiestas. uel quod ultimis temporibus presentiorem humanis as-
piret affectibus. Ipsi itaque in se sententiam dicunt ut mali pereant. et ad
alios colonos uinea transferatur. Qui sint coloni. que uinea. consideremus. Ui-
nea typus noster est. quod populus dei uitis eterne radice fundatus supereminet